

accendat. Atque hæc de corporis medicis hucusque dicta s̄nt. Pergamus deinceps ad Ecclesiæ ministros, qui animarum salutem curant.

De Ministris Ecclesiasticis.

C A P V T V.



LECTIS igitur ac probatis, qui corporis curam gerant, dispiciendum deinde de spiritualibus ministris, qui ægrotos fide in Deum instruant, sp̄que salubri erigant, & animarum salutis rationem habeant: quos ita seligent Conservatores in singulis parochiis, ut nō quosvis obuios ad rem tantam asciscant, sed quos pietati, sanctimonix, sobrietati, castitati, singulariter addictos cognouerint. Nam qui verè pietatis hactenus negligentes fuerint, non poterunt quenquã utiliter ad eam adhortari. Intemperantes autẽ magnam temporis partem Baccho tribuent, ac sibi ipsi, nedum aliis inutiles erunt: præsertim quum hæc opinio quorundam animis insideat, ut ebrietatem & vini copiam egregium antidotum huic malo esse putent. De incontinentibus verò periculum erit, cum frequentes occasiones impunè peccandi istis temporibus sese offerant,

ne quid eiusmodi flagitij admittant, propter quod Deus magis irritatus Reipub. pœnam au-geat si sciens non prohibuerit. Deinde etiam minimè auaros esse oportet: nam hoc rerum statu non aliter quàm in bello, aut in incendiis, multa patent prædæ: cuius facti ratione quinq; suspēdio punitos vidi Patauij, anno 1556, post quorū supplicium morbus breui cessabat, quasi ira Dei hac perfidi maleficij punitione remissa fuisset. Sint præterea viri integri, cordati, eruditione mediocri, sed non mediocri charitate præditi: sint circumspecti, non temerarij: cogitētque se quotidie mortem ante oculos habere. Quamobrem in vno Deo spem fiduciāque suam ponant, ab eóq; cæleste potiùs, quàm terrestre præmium suorum laborum expectent.

Quòd si fortè inter ordinarios ministros tales non inueniantur, è reliquo populo eligendi sunt, qui proximos modò dictarum virtutum gradus attingant. Nam in hac calamitosa tempestate non semper perfectissima quæque se offerunt. Ergo quod dici solet, vt possumus, quando vt volumus non licet.

Tandem autem cùm electi fuerint, quos cōseruatores idoneos, & cuique parochiæ sufficētes iudicauerint, nullo modo ferendum est, vt ad alios accedant, quàm qui pestilentia affecti ipsorum operam requirant. Dixi enim antea, & adhuc dico, non modò infestantem aerem externum & communem, sed etiam contagiosos halitus

halitus ac pestíferas respirationes, quæ per custodes, per assidentes, perque Ecclesiæ ministros huc illuc cursitantes, atque infectis, frequenter etiam mortuis adstantes, contrahuntur, & postea sanis ægrisque aliis communicantur, maximoperè esse refugiendas. Quod cum quotidiana experientia edoceamur, atque adeo verum esse conuincamur, cauendum nobis est omnibus modis, ne hanc tanti mali causam, ceteris sedulo remotis, relinquamus. His addas licet, quod non minus sepe experimur, plerosque etiam ægros (loquor de non pestiferis) etiam fortè talium ministrorum consuetudine non fuerint infecti, auersaturos tamen eorum præsentiam propter metum contagij. Vnde porrò id quoque incommodi sequetur, vt vel à domesticis, qui vt plurimum sunt ad hanc rem inepti, quamcunque consolationem malint recipere, vel soli mori, quam duplex subire periculum, aut solennia Ecclesiæ Sacramenta vsurpare. Quod vtrum aliàs quoque piè, vel minus fiat, etsi hic parum attinet disputare, tamen oblata occasione, ponam diuersarum partium quædam argumenta, quibus sacrarum rerum studiosi ad inclitæ cõsuetudinis maiorum nostrorum rationem examinandam excitentur, & quousque probari possit, & ægrotis necessaria sit, ipsi constituent: ne quis me putet piis & peritis Theologis præiudicare vel præscribere aliquid velle.

*De Cæna
Domini
privata.*

Qui igitur omitti posse vel debere apud æ-

gros Cœnæ Eucharist. vsu priuatum censent, suadent, vt quicquid eiusmodi rituum fieri debeat, tempestiuè & in publico cœtu fiat, vt in extrema illa necessitate non sit opus hac sollicitudine, quam aiunt proficisci partim ab imperitia vulgi, partim à diffidentia, & superstitionis specie non carere. Deinde cùm inter cetera Eucharistia sit quasi quædam festiua & solennis cōfessio & concelebratio mortis & beneficiorū Christi, non posse hæc commodè & decenter à semiuiuis & mortis timore perculsis fieri. Tertio, quamuis etiam institutam ad confirmandam fidem non dubitant: tamen hoc statu constitutis alia superesse remedia, videlicet annūtiationem verbi, cuius sit eadem facultas, idēq; effectus, qui est Sacramētorum. Quarto cùm de ægrotantium pœnitentia & probatione, præsertim qui hoc lethali morbo laborant, Ecclesia sæpe incerta sit, quòd nesciat an potius metu mortis, vel fiducia operis (vt vocant) operati, vel cōsuetudine, quàm recta voluntate ad hoc permoueantur (quæ ratio quoque in maleficis quibusdā in locis obseruari solet) tutius omitti, quàm dari existimant. Etsi enim singuli non teneantur alios, sed se ipsos, secundum Apostoli præceptum, explorare: Ecclesiam tamen nihil temerè agere debere, sed diligēter circumspicere, quid, quis, vbi, quæis cum sociis, cur, quomodo, quādo sacra administranda sint, ne rosas & margaritas porcis obiciat, & sanctum det canibus.

Quinto

Quintò, neque ipsis sumentibus semper hæc ratione consuli, sed sæpe pro salute, damnationem: pro vita iudicium illis administrari, non solum teste Apostolo, sed etiam Hippocrate, qui de insalubribus vel impuris corporibus dixit, quanto magis nutriantur, tanto magis lædi. Quod Plato & Galenus similiter de impuris animis referunt, quibus si salutare & nutrientes sermones offeras, id est, vitiorum virtutumque moneas, non solum non meliores, sed etiam deteriores fiunt. Quamobrem prudentes medici, quando de morbo viribusque, ac proinde de futuro euentu dubitant, tutiora leuioraque remedia consecrari solent, non ea quæ in discrimen adducant. Postremo ne formam quidem, quæ cuique rei esse suam dare solet, in priuata illa & clinica cœna obseruari distitant. Christum enim Apostolis, id est, presenti & in vnum collectæ Ecclesiæ, non vniforsum distribuisse: neque accipe, sed accipite: neque manduca, sed māducate: denique nō bibe, sed bibite ex hoc omnes, dixisse. Qua de causa D. Paulus in repetitione institutionis Christi iussit non vnumquemque suam Cœnam vsurpare, sed alterum alteros expectare, vt verè *συναξίς* dici possit, & fractione participationeque vnus panis viua charitatis coitio, in Christum & proximos præsentisque conuiuas concorporatio fieri demonstratur. Atque hæc vni parti adeo probantur, vt nunquam nisi in publico cœtu exhiberi hoc Sacramentum cuiquam velint. Nam

quòd nonnullis videatur, sicut verbum passim & solis quoq; seu ægris, seu sanis proponi & annuntiaripotest, ita quoque Sacramentum hoc *συνάξεως* priuatim vni posse rectè administrari, existimant iniquam esse comparisonem. Singula enim ministerij genera suum habere morè, & quasi formam, sine qua non possint esse, quòd dicuntur, quamuis in eundem tendant finem omnia. Quid quòd ne quidem propriè pars ministerij sit, apud ægros vel alios priuatim extra cœtum verbum prælegi, tractari, & eo alios moueri, institui & consolari. Hoc enim à quibusvis, etiam à mulieribus, quibus tamè publicum ministerium non permittitur, posse & solere fieri. Quare dissimilitudinem hic esse putant, & causam suam adhuc consistere, videlicet Sacramenti Eucharistici vsum non debere esse priuatum, sed publicum & communem multis.

Contrà verò alij hunc priuatæ Cœnæ Euch. vsum & consuetudinem retinendam contendunt: si non quouis tempore, saltem cum tota Ecclesia eam in templo vsurpat. Tametsi enim Christus (aiunt) id fortè non fecerit, quippe qui vnicam tantùm Cœnam cum suis Apostolis celebrârit, hinc tamen non sequi, vel minùs licere, vel Apostolos, consecutàmque Ecclesiam nò fecisse. Posse enim absentes causis legitimis, vt vel morbo, vel senio, vel aliis occasionibus impediri, quòd minùs in publicum prodire queant. Hinc veteres etiam in orthodoxa Ecclesia tam sanis eiusmodi, quàm ægris, illis quidem tanquàm

Symbolum pacis & conformis fidei, his verò quasi profecturis viaticum impartitos esse. Nam cum Ecclesia sit vnum & vnitum, integrumque quasi quoddam corpus, Cœnæque illa toti Ecclesiæ apparatus sit, non esse causam, quæ eam membris aliquibus ob impedimenta quædam absentibus iurè deneget. Quod autem dicitur, Ecclesiam incertam esse de eiusmodi hominum fide & voluntate, quamvis hoc fortè in illis locum habere possit, quos antea vitam planè dissolutam duxisse, vel Ecclesiæ ignotos esse constat: tamen axioma illud: Ecclesia de occultis non iudicat, quod hæctenus vsitatum fuit, retinendum esse, & quicumque vno ore nobiscum confiteantur Christum, & peccatorum se pœnitere verbis non obscuris testentur, inserti per baptismum communi corpori externi cœtus, de his bene sperare, ac eos quoque externorum Ecclesiæ beneficiorum participes facere oportere. Neque enim tantum periculum subest, inquiunt, quantum aliis videtur, neque venenum pro remedio hæc magis porrigi petētibus, quàm ibi corpore præsentibus sanis, & in cœtu congregatis. Neque tam spectandum quibus detur (modò non sint manifesti religionis hostes, aut vi morbi extra rationis terminos constituti) quàm quid detur. Præcipuum enim huius Sacramenti finem esse, vt Christus de promissione sua, & beneficiis proprio sanguine (quem ad asserendos in libertatē homines in ara illa sublimi nostræ redemptionis

effudit) acquisitis certos nos, adeoque participes faciat, fide & spe armet, mutuæ charitatis vinculo inter se Christianos colligat, ac quodam quasi incendio amoris inflammet. Ad hæc, cum Sacramenta verbi pars sint, & quasi verba quædam visibilia, quæ etiam secundum aliorum sententiam non aliud, etsi alia ratione, quam verbum ipsum prædicatum & audibile afferant, non satis causæ subesse dicunt, cur illa magis, quam hoc cuiquam, qui huc vsque, quod ad externam conversationem attinet, fratres nostri fuerunt, subtrahamus. Quis enim corda iudicet præter unum Deum? Si paulò liberiùs vixerunt antè, nonne fieri potest, vt vel brevis commonefactio ministri, vel leuis Spiritus sancti aspiratio igniculum aliquem in iis excitet, quem fouere quouis modo cum pietate non pugnate minimè sit inutile? Ecquomodo, obsecro te, non sit alienum à Christiana prudentia, illos gratiarum actione & commemoratione mortis Domini priuare, qui se in corde suo impelli sentiant, vt cum Ecclesia, id est, corpore suo, etsi situ loci ab eodè absentes eandè concelebrent, eiusdem se membrum esse velle declarent, denique displicere sibi anteactam vitam coram aliis testari velint? Postremò adeo hi in hanc sententiam propendēt, vt nullibi rectiùs Cœnam Dominicam peragi putent, quam apud ægros. Hic enim verè retineri formæ eius, qua primùm fuerit inchoata, nempe instanti morte, vel alia vrgenti difficultate, præcedente

acri admonitione, comitâte denique viua fide, spe salutari, votis ardentibus, animo q̄ flagranti, id est, prorsus serio. Quæ ratio vsque adeo quibusdam placuit, vt nullam aptiorê Missæ, id est, abusiua Cœnæ Dominicæ reformationê, quàm ad hanc regulam fieri posse existiment.

Hæc obiter hîc dixisse volui, quæ licet parùm huc spectent, & quasi extra causam dicta sint, e- gôque in medio relinquam Dominis meis The- clogis & Ecclesiarum gubernatoribus discer- nenda: id tamen monitos velim ægros nostros, vt quod ad hanc rem attinet, securi sint, mini- mèque animi angantur, si fortè vel morbi sæui- tia, vel aliis de causis, huius Sacramenti, quod ad externam ceremoniam attinet, eo tempore par- ticipes fieri non possint. Nam si poeta ille Ethni- cus satis iudicauit esse, καὶ δὲ νῦν ἀμὴν ἐρθεὶς ἐπ' ἀθα- ράτοις θεοῖσι, cur non potius nos Christiani, qui ab omni seruitute per Filium Dei liberati su- mus, idem nobis persuadebimus, Deúm q̄ qui scrutatur renes & corda, & non tam factum, quàm animum requirit, æquè per Spiritû suum affuturum nobis credemus, quàm si ipso opere ritum omnem impleuissemus? Hæc est enim il- la spiritualis manducatio vel communio, quam maiores etiam nostri animo & fide fieri, neque minùs nos participes reddere salutiferi corpo- ris Christi, quàm qui externo ritu vterêtur, cre- debant, si modò constanti fide dicere possimus: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum

1 Cor. 2

*De ciuit.
Dei. li. 21.
cap. 25.*

meum, sed tantum dic verbum, & sanabitur anima mea, Dominus ipse apud Iohann. ait: Ego steti ante fores, & pulsaui, si quis vocem meam audierit, & aperuerit ianuam, ad hunc ingrediatur, & eum eo coenam sumam, & ille mecum &c. Et D. Augustinus nos iubet credere, & credendo ait nos comedisse. Itē alibi inquit: qui est in corporis Christi vnitate, id est, in Christianorum compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueuerunt, ipse verò dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinē Christi. Hoc ergo fideles sibi persuadeant, si terrenā partem Sacramentorum legitima ratione adipisci non possunt, abundē satisfacere posse cælestem, quam quouis tempore per fidem consequi difficilē non est. Idēmq; affirmare ausim de consolatione confirmationēq; quæ ægrotis per Ecclesiæ ministros verbis fieri solet, sufficere etiā, cū aliter habere non queat, si à priuatis personis adhibeantur. Quod quò minùs diligenter fiat, in causa est turpis vulgi Christianorum inertia, qui semper discunt, & nunquam ad veritatis cognitionem perueniūt. Tam enim oscitāter conciones publicas plerique auscultant, vt ne tantum quidem inde referant fructus, quo vel se ipsos, vel domesticos suos in extrema illa necessitate morborum vel mortis, aliqua saltē ex parte de Dei voluntate instruere, aut piis consolationibus confirmare possint. Qui certē hoc
scire

scire debebant, vt pueris in schola non licet o-
 tiosos auditores esse: ita ipsos quoque decere,
 non velut ad spectacula circulatorum in tem-
 plum conuenire, sed tãquam in eum locum, v-
 bi & ipse Filius Dei Christus Iesus præsideat, &
 Angeli auditores obseruent, tanquã paulò pòst
 fructus diligentiaẽ, ab vno quoque requirituri,
 & negligentes seuerè castigaturi. Quæso si hæc
 oculis cerneremus, nõne feriò, & haudqua-
 quam socorditer acturos nos promitteremus?
 In vitis patrum refertur, religiosum quendam
 virum, cùm aliquando attentiùs obseruaret psal-
 lentes de more monachos, vidisse cacodæmones
 his quidem in fauces irrepere, ac ad tussendum
 cogere, aliis in nares illabi, sternutationemque
 ciere, quibusdam aures ingredi & vellicare, nõ-
 nullis oculos obturare, & somnum immittere.
 Quæ etsi fabulosa sunt: tamen euidenter signi-
 ficant, supinam nostram negligentiam & igna-
 uiam à Diabolo stupiditatis & segnitiei pa-
 tre proficisci, & nefariam esse incu-
 riam. Verùm plura de his, quàm
 fortè debui. Quare nunc
 redeo ad negotium
 propositum.

